

De crotonis tiglii oleo : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Gustavus Leopoldus Cruse.

Contributors

Cruse, Gustav Leopold, 1799-
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Formis Bruschckianis, 1825.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qhx9e8hy>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
CROTONIS TIGLII
OLEO

DISSE R T A T I O
INAUGURALIS MEDICA
Q U A M
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
DIE XIX. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
GUSTAVUS LEOPOLDUS CRUSE

REGIOMONTO - BORVSSUS

~~~~~  
OPPONENTIBUS:

R. MOLINEUS, MED. DR.

W. CRUSE, MED. DR.

C. SCHAPER, MED. DR.

---

BEROLINI  
FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

CROTONEIS TITI  
OCEO

dissertatio

magistrorum

anno

anno MDCCLXIX. et anno MDCCLXX.

invenit. et approbat. et approbat. et approbat.

et approbat.

et approbat. et approbat. et approbat.

et approbat. et approbat.

et approbat. et approbat. et approbat.

et approbat.

et approbat.

et approbat.

et approbat. et approbat. et approbat.

et approbat. et approbat.

et approbat.

et approbat.

et approbat.

et approbat.

et approbat.

et approbat.

et approbat.

et approbat. et approbat.

PATRI DILECTISSIMO

IOH. CHR. CRUSE

MEDICINAE DOCTORI, REGI A CONSLIIS AULICIS, ME-  
DICO PRACTICO APUD REGIOMONTANOS.

# СИДОР ЧОДАЕВ

Сборник избранных произведений  
и писем князя Сидора Чодадея

Doctrinarum, quibus medicus imbutus sit, oportet, illa quam Materiam medicam appellamus, haud parvi aestimanda est, quia morbis bene dignotis et via, quam ingressi iis medeamur, multum interest, remedia quoque, et vires, quas in corpus humanum exercent pernoscere, quibus utentes sanandi finem quam certissime assequamur. Singulorum medicaminum historiam attendentes, modo magno in pretio eadem fuisse, modo minoris habita esse, tum vero omnino e medicamentorum apparatu exulavisse inveniemus efficacissima, secundum auctoritatem praeceptorum et systematum, quae singulis temporibus in medicina plurimum valuerunt. Hanc eandem conditionem oleum quoque catharticum sortitum est, de quo in hoc libello verba facere mihi proposui, oleum

scilicet quod in fructibus Crotonis Tigliae continetur: veteres namque hoc purgans efficacissimum praescribebant; serius midici vires eius vehementissimas et vel lethiferas, si incautius adhibetur, veriti, ab omni eius usu in morbis abstinebant; nuperrime vero in lucem rursus vocatum et summopere celebratum a permultis adhibetur medicis practicis.

Summas huius olei commendationes quotidie audientem et multa de eius efficacia legentem exempla, magna me cepit cupiditas accuratiore imbuiri scientia omnium quae ad id pertineant; et ad dissertationem, quae mihi erat scribenda ut summos in utraque medicina assequerer honores, aptissimum hoc mihi visum est thema. Diligenter igitur huius medicamenti querebam notitias; et liberos de materia medica scriptos et commentaria literaria et opera, in quibus de eo notitias suspicabar perscrutans: ad veterum dicta semper reverti reperiebam recentiores, veterum allegantes scripta, adiectis nonnullis quae ipsi invenerint experientia. Et ipse ad veterum scripta confugiens, maximam partem ex iis, quae nunc quidem ut res novae narrantur, iam ibi contineri perspexi; unde et mihi liceat, veterum referenti effata, recentiorum cum his componere experientias, ut exinde, quantum valeam, medicamenti huius redi vivi virtutes exponam.

Scio equidem iam dissertationem exstare de medicis virtutibus, quibus gaudet Croton Tiglium auctore Leo Vita Finzi, et aliam Recherches sur les propriétés médicinales et l'emploi en médecine de l'huile de Croton Tiglium par Dr. W. E. E. Conwell quarum neutram evolvere mihi contigit, sed summatim tantum excerpta legere quae in libro a Conwell edito continentur; verum enim vero hoc meum libellulum cum illo comparare nunquam in mentem mihi veniet, cui non licuit ipsi experimenta facere, sed iam relata tantum in ordinem quandam redacta proferre. Multos insuper liberos qui inspiciendi mihi erant, assequi non potui (quanquam magna eorum, quibus egebam, parte virorum doctissimorum quorundam benignitatem me impertiisse, libenter gratissimo profiteor animo) ita ut de nonnullis, quae absoluta proferre non possem, omnino potius reticendum mihi esse censerem, et opusculum hoc quamvis sit mancum, absolvere cogerer, tempore urgente. Etiamsi nullum aliud habeat pretium haec dissertatione; hoc tamen praestitit, ut ipse accuratiorem olei Crotonis Tigilii notitiam assecutus sim.

§. I.

Priusquam ad aliam quamcunque Crotonis Tiglii commemorationem aggrediamur, botanica huius plantae descriptione opus est.

Croton Tiglium. L.

*C. foliis ovatis, acuminatis, serratis, glabris,  
basi biglandulosis, petiolis folio bevioribus, race-  
mis terminalibus.* Sp. pl. ed. Wild. IV. 543.  
*Synonyma:*

*Ricinoides indica*, folio lucido, fructu glabro,  
*Grana Tiglia officinis dicto*, Burm. Thes. Zeyl.  
200. tab. 90.

*Pinus indica*, nucleo purgante, Bauh. Pin.  
492.

*Lignum Moluccense*, foliis malvae, fructu  
avellanae minore, cortice molliore et ni-  
gricante, Pavana incolis. A Costa (in Clusii  
exotic. L. IX.) p. 277. 292. Bauh. pin. 393.  
*Granum molluccum*; Bori. Rumph. herb.  
amboin. IV. p. 98. tab. 42.

Cadel avanacu. Rheed. hort. malab. II. 61  
fig. 33. Raii hist. 166. 1855. suppl. 112.  
666.

Purgier Croton. W.

*Locus in systemate sexuali: Monoecia Mo-*  
*nadelphia.*

Ordo naturalis: Tricoccae L. Euphorbiae Iuss.  
Arbuscula 8 - 10. pedalis. Radix lignosa,  
ramosissima. Caulis erectus, gracilis (bracchium  
vel pedem crassus Rumph.) cortice cinereo, molli,  
Rami divaricati, inferne nudi, superne foliosi,  
foliis inferioribus maioribus, sub apicem racemo  
terminatum sensim minoribus. Folia petiolata,  
petiolio fere longitudine foliorum, alterna, ovata  
vel ovato-oblonga, glabra, integra, mollia, basi  
biglandulosa, irregulariter serrata, acuminata, 2-5  
pollicaria, pagina superiore intensiore, inferiore  
pallidiore, nervis prominentibus. Inflorescentia:  
racemus terminalis, floribus inferioribus foemineis,  
superioribus masculis. Flos masculus: calyx cy-  
lindricus 5 dentatus, corolla 5 petala, pallide fla-  
vescens, stamina infinita 10 - 15, filamentis  
saepius connatis, germini abortivo quasi recepta-  
culo impositis. Flos foemineus: calyx multifidus  
sub capsula reflexus, corolla nulla, styli tres bifidi.  
Capsula (ex Gaertnero) ovata, grandiuscula, cori-  
acea, tenuis, glabra, trigona, trisulca, tricocca.  
Dissepimenta tenuissima, fere membranacea. Color  
stramineo - pallidus. Semina ovata, solitaria, hinc  
convexa, inde obtusissime angulata, ad margines in  
aciem acutam extenuata, straminea, fusca aut ni-  
gricantia. Umbilici cicatricula simplex, parva, in  
extremitate seminis obtusiore atque superiore. In-

tegumentum exterius crustaceum, interius membranaceum, sericeo - album. Album carnosum, crassum. Embryo inversus, lacteus. Cotyledones ovato - cordatae, foliaceae, tenuissimae, Radicula brevissima, supera.

Habitat in Ceylon, Malabar, China, Cochinchina, insulis Moluccis; floret mense Augusto et Septembre.

§. 2.

Iam enumerandi mihi sunt libri, qui notations ad hanc dissertationis meae materiem spectantes continent. Etsi multos eorum evolvere nihilmet ipsi non licuit, omnes tamen quos in scriptis quae legi, citatos inveni, allegandos censui.

Caroli Clusii Atrebatis Exoticorum Libri X  
1605 Lib. nonus sive aromatum et medicamentorum in orientali India nascentium historia auctore Christophoro a Costa. p. 277.

292.

Rheede Hortus Indicus Malabaricus, Amstelodami  
1678 II. p. 61. fig. 33.

Simon Pauli Quadripartitum botanicum, Argentorati 1667 p. 548.

Ioannis Raii Historia plantarum. Lond. 1688.  
I. p. 167 II. p. 1803. 1855. III. 112. 666.

Casp. Bauhini Pinax theatri botanici p. 393.  
492.

- Rumphii Herbarium Amboinense. Amstelodami  
1750 T. IV. p. 98 tab. 42.
- Pauli Hermanni Cynosura materiae medicae.  
Argentorati 1726 pag. 239. 338.
- Ioannis Burmanni Thesaurus Zeylanicus. Am-  
stelodami 1737. p. 200. tab. 90.
- Geoffroy Tractatus de materia medica. Parisiis  
1741. II. p. 428.
- Lemery Traité universel des drogues simples.  
Paris 1714 p. 723.
- Lewis Materia medica a. d. Engl. Zuerich 1771  
p. 486.
- Bergius Materia medica e regno vegetabili.  
Holm. 1778.
- Triller Dispensatorium pharmac. univers. Erfurt,  
1764. I. p. 194.
- Grimii Laboratorium Ceylanicum p. 103.
- Murray Apparatus medicaminum. Gotting. 1787  
IV. p. 149.
- Hahnemann Apothekerlexicon Leipz. 1798. II.  
p. 255.
- Ios. Schneider Ueber Systemsucht unter den  
Aerzten nebst einem Anhange über I. Arrow-  
Root u. II. das Croton Oel. Fulda 1823.
- Richard Medicinische Botanik ed. Kunze u.  
Kummer I. p. 337-342.
- Recentiorum observationes et relationes de  
oleo Crotonis Tlglpii ex maxima parte in variis

commentariis literariis continentur quae Iournal Magazin, Repertorium et similitur audiunt. Ex his reliquorum gentium scriptis notitias de oleo Crot. Tigl. memoratu dignissimas in commentariis literariis quae in Germania prodeunt, excerptas aut recusas invenimus.

§. 3.

Fructus Crotonis Tiglii: Grana Tiglii, Tillii, Tilli, Gr. Tiglia, Gr. Mollucca, Pinei nuclei Molucani, Pignons d'Inde, Purgiernüsslein, Purgierkörner, Granatillkörner nuncupantur 1); oleum ex iis expressum nomine olei Crotonis in usu est. Non autem hoc nomen servare possumus: est enim Croton genus plantarum, plus octoginta continens species; non igitur nomine olei Crotonis designatum est, quaenam Crotonum species hoc oleum

---

1) De variis nominibus conf. Costa, Rheede, Burm. Rumph. Nonnulla nominum, quibus apud incolas designatur, vires aut usum eius significant „Iapalu Malabaris dicitur, Gaiapala, Nepalam et Wayapali Zeylonensibus a Wayya qui illis morbus frigidus est, nervos et artus occupans atque contrahens, cui huius fructus medentur. Gaya victorem significat, Pala regem qui olim his usus fuit“ Burm. „— Latine Granum moluccum, vulgo Bori dictum, quod omnes denotat fructus quibus pisces et aves inficiuntur et enecantur. Ternatice autem proprie vocatur Jets, quod vomitum excitat —“ Rumph.

nobis suppeditet, ita ut omnes species huius generis idem praebere medicamentum e nomine intelligi oporteat, aut cuivis singularum specierum eius procreatio sit adscribenda. Rectius igitur hoc oleum Oleum Tiglii appellandum erit.

Oleum Tiglii quale Short vendit, monopolio a Rege Angliae munitus, in vitris continetur, drachmae circiter unius capacibus: colore melleo, limpidum, odorem referens resinae Ialappinae simum 1), in alkohol et aethere difficile solvitur. Oleum quod apud nos prelo elicetur, intensiore colore et crassius 2) est: fortasse quia oleum quod Short vendit, e recentibus paratur seminibus (an coctione?) quae hic non prostant. Ceterum Iliff 3) et Frost 4) questi sunt, oleum, quod nunc accipimus, non eadem esse efficacia cum eo quod antea nobis suppeditatum erat.

#### §. 4.

Non autem fructus tantum cum oleo quod continent, efficaciam exhibent magnam, sed „in tota planta vehemens detegitur fervor, ipsum superans piper, reliquasque calidas plantas“

---

1) Buchner Repertorium T. XIV. p. 302.

2) Pfaff Syst. der Mat. med. T. VII. p. 50.

3) Americ. medic. Record. T. V. p. 376 sqq.

4) Americ. med. Record. T. V. p. 615 sqq.

Rumph. Ad singularum igitur nunc transeamus partium eius examen, magnam ad partem scriptorum, in regionibus, quibus haec stirps indigena, degentium, relata secuti. „Radices sunt longae in multos longos quasi vermes divisae, nigricantes, rugosae et lentae, in quibus ardor per gradum debilior est quam ossiculorum“ Rumph. „Lignum Panava, Pavana, lignum Moluccense est spongiosum, leve, rarum, pallidum, tenui cortice cinereo obductum, saporis acris mordacis et caustici, odoris nauseosi; recens et adhuc vegetum adeo potens est, ut serum et aquas tam per vomitum quam per alvum expellat, relinquens ob intensam sui acredinem in ano inflammationem“ Herm. „Folia gustata, valde acria deprehenduntur et linguam diu vellicant“ Costa; imo summam acredinem omnium stirpis huius partium ea continere Rumphius narrat, et Rheede de viribus eorum purgativis commemorat. Seminum virtutem nemo est scripterum qui non laude accumulet; quod autem attinet ad partes seminum, quibus acredinem tribuant, alteri ab alteris discrepant. „Cortices (i. e. putamina) blandius purgant ac ipsa substantia interior“ teste Hermanno, quos contra omni virtute purgativa carere Nimmo contendit, experimentis nisus quae instituit. Burmannus vellus quoddam exiguum quod fructus intus habent, eximi iubet „quod si

non factum sit, et simul assumatur, hic vel illic in corpore adhaerescit, unde incommodae proveniunt operationes.“ Eandem sententiam, nisi fallor, Rumphius his profert verbis: „dicitur si pellicula media tollatur, innoxie adsumi posse,“ ita ut vellus istud Burm. et pellicula media Rumphii idem hoc fit quod est integumentum interius membranaceum Gaertneri. Nullum vero aliorum scriptorum, qui huius rei mentionem fecerit, equidem invenire potui, et si re vera res ita se haberet, effectus hic derivari non posset mechanica illa irritatione quam sibi singit Burmannus. Nimmo videlicet de hoc integumento separatim verba non facit, nec in seminum a putaminibus liberatorum, nec in putaminum analysi (quibuscum una in haec integumenta inquisivisse mihi videtur) hanc nocivam commemorat indolem (cf. §. 6.); qua de causa non experientia sed falso quodam ratiocinio potius hanc sententiam irrepsisse versimillimum videtur. Granorum vim concretam esse in embryone, iam Hermannus adnotavit et post eum Geoffroy; verum albumen etiam hac acredine non carere, Caventou certiores nos facit. 1)

---

1) Froriep. Notizen T. IX. Maerz 1825 p. 316.

§. 5.

Haud opus est, nonnullorum opiniones iam diu refutatas, denuo refellere, scilicet seminum Crotonis Tiglia et olei ex iis expressi vires medicatrices in acrimonia quadam rancida ponentium, quam in his medicaminibus per longum tempus repositis, olei pinguis quod continent degeneratione rancida oriri ratiocinabantur. Fructibus iam innata est haec acredo, quod e. g. exponit Odier 1), oleum escharoticum Ricini (Huile de pignons d'Inde) non esse oleum expressum Ricini communis, rancore degravatum, sed oleum e granis Tiglia prelo elicitum, disertissime praedicans. Et fructus, ad perfectam nondum proiectos maturitatem, quanquam suavi praeditos sapore, acrimoniae quae maturis inhaeret partem reconditam habere, Geoffroy 2) nobis est testis.

---

1) Sammlung auserles. Adhandl. für pract. Aerzte T. V. 236.

2) Dictionnaire des sciences medicales Paris 1813 T. VII. p. 411. Etant a nous promener pres du village de Bain, non loin du Cap-Vert, nous trovâmes plusieurs Crotons en fruit. La plupart d'entre nous en mangèrent; j'en pris des amandes pour ma part: elles nous parurent fort agreeables à tous; mais au bout d'environ deux heures, nous étant ombarqués, pour revenir a l'ile de Gorée, nous fûmes tous attaqués de vomisse-

§. 6.

Iam veteres non fugit, oleum quod in Granis Tiglii continetur, ex duabus coalitum esse partibus constituentibus, altera oleosa, altera acri: Lemery 1) e. g. Grana Tiglii multum olei et salis continere narrat; Burmannus 2) his utitur verbis „Fructus calidam et acriter salsam oleositatem habent.“ Hermannus iam accuratius, purgans eos appellat, sale purgante tam fixo quam volatili constans. Recentiores, chemicas et fructuum et olei quod continent analyses instituentes, singularum partium qualitates, quantitates, vires pro scientiarum hodierno statu investigarunt.

Nimmo 3) Grana Tiglii asseverat putaminum exhibere partes novem, nucleorum vero sedecim, quam eandem fere proportionem Caventou 4) proponebit, putamium pondus nucleorum dimidio aequiparans: Nimmo in nucleorum partibus

---

mens violens. Un seul d'entre nous en fut exempt, et il remarqua qu'il avait bu quelques gorgées d'eau de vie: sur cette indication nous en fimes usage, et bientôt les vomissemens se calmèrent sans aucune suite. Cet accident m'engagea à étudier la plante que je reconnus bientôt pour le Croton Tiglium.

1) Traité univ. des drogues simples Paris 1714. p. 728.

2) Burm. Thes. Zeylanic.

3) Froriep Notizen T. VII. April 1824. p. 7. sqq.

4) Froriep Notizen T. IX. März 1825. p. 316. sqq.

quinque olei invenit partes tres, Caventou dimidium totius ponderis oleo tribuit; Schneidero contra contigit (l. c.) ut ex nucleorum unciis 26, olei uncias 6 tantum eliceret. Proportiones illae quas Nimmo atque Caventou experti sunt, non multum inter se differunt, et congruent, leviores si indulgeas alterutri aut utrius in pertractione seminum incurias; Schneideri disquisitiones vero ponderum rationem adeo differentem ab istis praebuisse, non mirandum mihi videtur, cum hic oleum prelo elicuerit, chemicis illi operationibus. 1)

Exstat analysis chemica fructuum Jatrophae Curcados a Pelletier et Caveutou anno 1818 instituta 2), in qua hoc quidem nomine errasse serius confitetur Caventou, dum semina ista Jatrophae Curcados fuisse retulerit quae revera Crotonis

- 
- 1) Per multum olei et principii acris, recrementis, e quibus prelo non amplius olei guttulae exprimi possunt, adhuc inhaerere, Short nuperrime nobiscum communicavit, hanc referens experientiam. Ad alvum equis ducendam efficacissimis uti purgantibus oportet, ita ut olei Tigliae guttis XV - XX in hunc finem opus sit; eundem vero praebuerunt effectum scrupulus unus ad drachmam dimidiad e recrementis illis. Froriep Notizen T. X. April 1825. p. 159.
  - 2) Journ. de Pharmacie Nr. VII. 1818 recus. in Buchner Repert. T. VI. 1819. p. 300 sqq.

Tiglii *femina* fuérint 1); quam ut argumentis fulciat affirmationem, et aliorum allegat testimonia et efficaciam huius olei in homines aequa ac in animalia, olei Tiglii virtutes adaequantem. Haec sunt quae dedit analysis ista: Aether sulphuricus et Alkohol vini ex his granis a putaminibus liberatis et in mortario contritis, oleum acre solvunt, insolubilem sibi relinquentes massam quae cum aqua contrita emulsionem praebet, et ex albumine gummi et lignosis constat fibris. Oleum hoc flavum densatur ubi temperies est + 5° R. congelascit vero ubi ad 0° R. usque imminuta est; solvitur in Alkohol vini sed non in aqua; chartae succo plantarum coeruleo illitae colorem in rubrum mutat; igni admotum partim in vapores mutatum abit, intolerabili odore atque acredine vehementer oculos nares faucesque irri-

---

1) Apud Gallos Grana Tiglii Pignons d'Inde audiunt. Encyclop. bot. Paris 1786. T. II. p. 208. Dict. des sc. med. Paris 1813. T. VII. p. 411. Sunt autem multi qui hoc nomen fructibus Jatrophae Curcados tribuant, quae alias Medicinier cathartique vocatur e. g. Dict. des sc. med. par une soc. des med. et chir. Paris 1820. T. 42. p. 442. Encyclop. ou Dict. rais. des sc. etc. Paris 1779 ita ut magna inde rerum et nominum oriatur confusio. De permistione nominum quae Crotoni Tigl. et Iatrophae Curc. conveniunt, Frost etiam questus est: Americ. med. record. T. V. p. 615 sqq.

tante praeditos, partim in carbonem mutatum remanet. Kali causticum quod spiritu vini solutum huic oleo admiscitur, saponem cum eo componit nigricantem, in aqua solubilem, mollem, inodorum, cui si addas Acidum tartaricum, odore illo penetrante statim prodeunte, oleum a Kali secer-nitur, omni fere sine odore et sapore; materia quae hos exhibit, in illo fluido, cui Kali tartari-cum inest, soluta destilatione detecta est. Baryta, fluido huic per destillationem elicito immixta, album componit praecipitatum, cui Acido phos-phorico instillato, olei pernotus odor rursus se prodit. Eodem modo Magnesia pura cum Oleo Tiglia ex aqua cocta, magnam acredinis partem oleo demit; ipsa verum deinde aqua solvitur, et acido aliquo huic solutioni instillato, volatilem itidem manifestat acredinem. His experimentis nisi Pelletier et Caventou acidum peculiare quod-dam volatile Oleo Tiglia vires suas insignes tri-buere rati sunt, et hoc acidum Acidum Jatrophi-cum denominare non dubitaverunt, fructus scilicet qui oleum ipsis praebuerant, Jatrophae Curc. se-mina existimantes.

Nimmo has nobis dat partium grana et oleum Tiglia constituentium proportiones. Centum par-tes seminum a putaminibus liberatorum continent partes:

|      |                                                |
|------|------------------------------------------------|
| 27,5 | materieī acris in Alkohol solubilis,           |
| 32,5 | olei crassi in Ol. Terebinthinae<br>solubilis, |
| 40,0 | massae farinosae non solubilis.                |

100

Oleum vero continet

|    |                                             |
|----|---------------------------------------------|
| 45 | partes principii acris                      |
| 55 | olei pinguis, Oleo Olivarum si-<br>millimi. |

Alkohol acredinem quidem omnem, verum non perfecte oleum omne e granis extrahere valet; partem huius remanentem Ol. Terebinthinae solvit. Aether sulphuricus, et Alkohol vini et olei Terebinthinae vires in Oleum Tiglii iunctas continens, omne oleum cum acredine sua solvit. Aqua, solutioni olei in Alkohol admixta, sedimentum statim generat, quo per filtrum separato, aqua ab Alkohol seiuncta limpida ne pauxillum quidem acredinis continens reperitur. Solvitur Oleum Tiglii omnibus oleis tam pinguibus quam aethereis. Nimmo item acre principium Granorum Tiglii acidum quoddam peculiare esse suspicatur, cuius efficaciam in reagentia acidorem non validam invenit.

Pelletier et Caventou (l. c) de acidi volatilis indole nonnulla habent: immissum in tubulum ad frigus usque  $-5^{\circ}$  R. refrigeratum, illico congelascit, odore quem exhalat valde imminuto,

qui multo vehementior procedit, simulac tempe-  
ries ad + 1° R. ad + 2° R. aucta sit. Acidum  
hoc volatile succi plantarum colorem coeruleum  
in rubicundum mutat, sapore notatur acri, odore  
nauseoso, basibus saturatum cum iis se coniungit,  
acidorum admixtione rursus liberatur. Notatu dig-  
num videtur, acidum hoc volatile per se tanta  
non gaudere acrimoniam, qualem exercet coniunc-  
tum cum oleo crasso.

Brandes 1) acidum, Acido Jatrophicō si-  
millimum in Granis Tiglii reconditum se inve-  
nisce narrat; substantiam acrem materiae cuidam  
inesse resinosae, Alkohol vini et Aethere sulphu-  
rico solubili, itemque oleis pinguibus et aethereis,  
magnamque huic substantiae cum Elaterino (e  
fructibus Momordicae Elaterii) esse similitudinem,  
qua de re Tiglinum appellanda sit, Iourn. de  
Pharmac. Marz 1823 nos edocet. Buchner 2) de  
acido, acido Jatrophicō simillimo, vel cum eo con-  
gruente, et de substantia quadam Alkaloid dicta  
refert; Caventou recentioribus nisus experimentis,  
acre illud, acidum non esse nunc quidem  
contendit 3), et Adrien de Jussieu 4) substantiam

---

1) Brandes Archiv. T. V. p. 203.

2) Buchner Repertorium. T. XV. p. 431.

3) Proriep Notizen. T. IX. Maerz 1825. p. 316.

4) Froriep Notizen. T. IX. Decemb. 1824. p. 72.

resinosam, quam vires drasticas Olei Tigliae continere asseverat, Tiglinum nominatam, ex eo educere valuit.

§. 7.

Qualiscunque vero sit substantiae acris toti plantae inherenteris natura, medici hoc non tantum interest ac chemici; sed fiderent hoc medicamento utitur, dummodo effectuum eius in corpus humanum cognitionem, experimentis et observationibus idoneis stabilitam, in promtu habeant: et praesto sunt multa, tum a veteribus tum a recentioribus scriptoribus allegata efficaciae Crotonis Tigliae in corpora hominum et animalium exempla, quae nunc recensemus.

Externe applicatum vim exercet et topicis se manifestantem affectionibus, et toti corpori se communicantibus. Affectiones, quas procreat, topicae ex his cognoscuntur: Grana Tiglia ex aqua trita, impetiginibus inuncta admodum urunt (Costa); calorem excitant et vesiculos „cunctis lenticulis sordidisque faciei maculis“ illita (Rumph); irritant etiam curtem omnibus carentem morbos affectionibus, quae inflammatur ubi fricatur hoc oleo, inflammatione per horas et vel dies durante 1), atque umbilico inunctum exanthema ibi

---

1) Graefe u. v. Walther Journ. T. IV. p. 184.

procreat 1). Cloquet 2) oleum hoc acre, amarum, quod Alkohol ope eduxerat, exigua quantitate cuti admotum, brevi tempore medicamenti rubefacientis dolorifici effectum praestare asseverat; quin imo eadem efficacia ac causticum potentiale crustam sicciam nigram id produxisse refert, per decem horas canis femori impositum, a quo pili antea abrasi fuerant.

Non autem opus est olei ipsius tactu ad hunc finem, cum substantia illa acris volatilis, aut granorum tritu aut calore aut chemicis operationibus in vapores mutata, hunc eundem effectum praebeat: Caventou iuvenes duos, qui aliquod tempus degerant liberando semina Crotonis Tigliai a putaminibus, summam totius corporis irritationem et ardoris sensum in naribus ac faucibus percepisse narrat, eoque modo eos affectos fuisse, ut altero die palpebras vix dimovere potuerint, paspebris, naribus et tota facie summopere inflammati 3). Porro operarius qui haec semina in mortario contuderat, erysipelas faciei nactus est 4); nec non Brandes, qui acidum illud volatile purum educere sibi proposuerat, atque prohibere

---

1) Froriep Notizen. T. VI. April 1824. p. 7.

2) Buchner Repert. T. VI. p. 300.

3) Froriep Notizen. T. IX. Maerz 1825. p. 316.

4) Graefe u. v. Walther Journ. T. IV. p. 184.

hand potuit quo minus vaporis ex oleo prodeuntis aliqua pars in conclave suum emanaret, postridie pessime se habuit: facies, palpebrae et labia intumuerant inflammata, circulo lato minutarum vesicularum oculos cingente. 1)

Irritationem igitur, dolores, inflammationem, pustulas et vel sphacelum Oleum Tiglii in eo loco excitare valet, cui assidue illinitur aut per tempus sat longum ad movetur; vapores ex eo prodeentes eadem nocendi vi corpus humanum infestant, imprimis tunicas mucosas.

§. 8.

Alii sunt affectus quos externe applicatum, toti corporis oeconomiae infert hoc oleum: regio umbilicali inunctum alvum ducere, ac si interne sumtum esset, Hermannus et multi alii testantur: guttas eius quinque bracchio illitas nauseam, sudorem et auctam urinae secretionem movisse refert Convell 2); extremis digitis admotum stuporis sensum, digitos manum et bracchium occupantem, oris siccitatem et capitis dolorem per aliquot horas perseverantem, oleum procreasse, observavit Frost 3). Huc pertinent quoque

---

1) Hufeland Journ. T. LVII. Julius 1823. p. 120.

2) Froriep Notizen. T. VII. April 1824. p. 7.

3) Americ. med. record. T. V. p. 615.

quae apud Rumphium invenimus his verbis enarrata ,— aquis stagnantibus injecta (grana T.) sive purissime salsis, pisces enecant, siue baculum ex hac planta formatum sub scopulo vel excavata arbores intrudatur, pisces et cancri sub hisce latitantes, semi mortui prodeunt —“ Nescio equidem utrum pisces et cancri aqua vescantur, quae Granorum Tiglii pulvere impregnata est, an potius in hac aqua degentes tantum sopiantur: ultima verisimilior mihi est sententia, Rumphii verba perpendenti, nam si altera vera fuisset, Rumphius certo dixisset, pisces et cancros semimortuos fieri postquam hac ex aqua bibissent.

Et si ultimum hoc exemplum ad rem nostram non pertinere concedam, elucet tamen, me quidem iudice, ex relatis, Croton Tiglium et in specie Oleum Tiglii, corporibus foris applicatum non alvum tantum movere urinasque, sed facultatibus etiam potiri quibusdam in sistema nervorum speciale excentibus vim.

### §. 9.

Sive deglutitione Crot. Tigl pars assummatur sive nna eum aëre inspiretur, effectus fere idem est; quod theoriam confirmare videtur, quam Conwell de eius efficacia proponit, Croton Tigl, scilicet non irritationi topicae particulae cuiusdam intestinorum vires suas purgativas debere,

nec intestina percurrens ea irritare (quod pauxillum eius quo utimur efficere non posset, dum insuper saepe vomitu evacuetur priusquam alios praebuerit effectus) sed absorptum, nervorum forsan ope ad intestinorum tractum vires suas dirigere. Omittentes vero omnes huiusmodi coniecuturas, ad relationem transeamus effectuum, quos a scriptoribus commemoratos invenimus.

Omnibus stripis partibus „vehemens“ inest „fervor, os labia et fauces adeo inflammans ut intumescant, qui vix tolerabilis est et usque in tertium persentitur diem“ Rumph. „Oleum ob exedentem sui acredinem fauces palatum et nonnunquam anum inflammat“. Hermannus. „solet lignum interdum in nonnullis ani pruritum et excoriationem excitare, atque in aliquibus (sed paucis admodum) haemorrhoides“ Costa. Murray 1) gustans nuclei pauxillum, lingua quidem acrimoniam non sensit sed paulo post in fauibus ardorem ingratum percepit, diu inhaerentem, vix prandio extinguedum. Et si qua eius ingesta erat particula (quam fortasse inscii deglutiuerant cum saliva mixtam, qui gustandi causa masticaverant pauxillum granorum, vel olei guttulas linguae applicuerant, omnem vero masam

---

1) Murray apparat. medicam. T. IV, p. 149.

illoco exspuerant; vel qui, dum nucleos terebant, halitum ex iis prodeuntem hauserant) pro quantitate ingesti multae sedes secutae sunt, interdum etiam vomitus.

Relationes quas Schneider 1) Brandes 2) et Buchner 3) dederunt, secutus, et his componens ea quae ipse expertus sum, cum Grani Tigliae partem circiter sextam masticassem; adumbrationem nunc apponam symptomatum quae oleum vel vapores quos exhalat, incaute in corpus ingesta sequi solent. — Percipitur ab initio olei pinguis aut nucis avellanae sapor in lingua, quem mox excipit ardor (ei non dissimilis quem tinctura Pimpinellae saxifragae exhibet) primum uvulam occupans, tum etiam fauces linguam et oesophagum urens; porro nausea, capitis dolor, horripilationes, horrores; crumpunt sudores cum magno anxietatis sensu, pulsū debili, parvo; accedunt in nonnullis colici dolores (quos equidem non suscepit sed plenitudinis tantum et molestiae in abdome sensum) vomituritiones, artuum gravitas, lassitudo, debilitas totius corporis, vomitus et alvi evacuationes creberrimae, serosae, permulta

---

1) Schneider über Systemsucht. Auhang II. über Crotoneol.

2) Hueland Journ. T. LVII. Julius 1823. p. 120.

3) Buchner Pharmacie. T. VII. p. 288.

intestinorum secreta fluida maximo cum impetu evacuantes. Si non nimium olei ingestum erat, postridie vires recuperant aegri, et fame ac siti maxima vexantur, nullumque aliud damnum ex hac purgatione trahunt: ipse enim ego, quem evacuationes per superiora et inferiora adeo afficerant, ut inde a secunda hora post assumptionem huius medicamenti spasmis tonicis extremorum inferiorum maxime dolorificis, quinimo febricula vexarer, postridie nullam passus sum morbosam affectionem, nisi quod urina turbida fuerit et vires nondum omnino recuperassem. Cum vero plus iusto propinetur, dolores colici vehementissimi sequuntur, nec raro sanguinis deiectiones (Conwell), intestinorum inflammationes, gangraena et mors.

§. 10.

Experimenta quae Conwell in canibus 1) instituit, edocent, Olei Tiglia guttam unam ad tres per os aut per anum ingestas, vomitum et deiectiones copiosas, faeculentas aequa ac serosas excitare omni sine intestinorum inflammatione. Guttis duodecim in ventriculum, et guttis quinque in venam iugularem injectis, canes ingentes pati videbantur dolores, multum salivae spunidae vomentes et paucas mittentes deiectiones, quarum

---

1) Froriep Notizen, T. VII. April 1824. p. 12.

nonnullis sanguis immixtus erat. In cadaveribus canum post aliquod tempus interfectorum, oesophagus naturalem servans texturam repertus est, tunica verum interna ventriculi, duodeni, jejunii et ilei mirum in modum inflammata, rubra, rubris quasi iniectionibus tincta; colon quoque et intestinum rectum inflammata inventa sunt, sed minori in gradu ac intestina tenuia: vesica urinaria urinae plena, viae urinales, bronchiorum membrana mucosa, canalis choledochus et cetera abdominis intestina omni ab inflammatione libera; cerebrum deinde et omnes reliquae corporis partes sanae repertae sunt.

§. 11.

In multis Indiae provinciis aucupes seminibus Crotonis Tiglii utuntur „huius pauxillum cum oryza cocta mixtum avibus sylvestribus exponunt: quae degustant, illico decidunt sopitae et stupidae, quae vero avidius id edunt, moriuntur antequam illis auxillium praeberi potest, quod est ut frigida caput perfundatur — Improbae etiam mulieres illarum provinciarum suis maritis parum aequo quatuor grana sive nucleos 1) edendos praebent ut eos interimant.“ Costa. Cum

---

1) Singuli nuclei pondere medicinali grana circiter sena aequant.

vero neque apud Costam neque apud Rumphium nec alium quempiam scriptorum, qui mentionem huius nequitae faciunt, nulla inveniatur notatio nec de effectus genere quem permagna illa dosis praebeat, nec de mortis ratione, nec de affecti- onibus, quas cadaverum dissetio, si instituta es- set, demonstravisset: non possumus scire, num inflammatione et gangraena intestinorum correpti, an vi illa in *systema nervorum* influente exstincti (quomodo aves illae sylvestres) mariti infelices exspiraverint. Mihi quidem ultima ratio probabi- lior est, quia viri, simulac ardorem in faucibus sensissent, hoc venenum accepisse edocti, ido- neis illico uti potuissent remediis: si vero acre illud volatile narcoticos ut ita dicam, cito prae- beat effectus, similes forsitan iis acidi Borussici, 1) liquet, quomodo foeminae quem sibi proposuerant finem assecutae sint. Vapori ex oleo elicto vim inesse nauseam et stuporem procreandi Brandes 2) ipse expertus est: sequitur ergo, hoc oleum non tantum eximia vi purgandi instructum esse, ve- rum etiam viribus quibusdam sensibilitatem egre-

---

1) Buchner Repert. T. VI. p. 300. acidum e granis Ti- glii eductum cum acido Borussico a perito quodam chemico comparatum iri optat, magnas inde scien- tiae augurans fructus.

2) Hufeland Journ. T. LVII, Julius 1824. p. 120.

gie affientibus, quod Hahnemann 1) iam pronunciavit.

§. 12.

Quod si olei virtutes in praecedentibus paragraphis expositas, nunc summatim enumeremus, hasce inveniemus: externe vel interne applicatum, irritationem ac inflammationem excitare valet, alvi urinarum et sudoris excretiones promovet et vim quandam in sistema nervorum exercet deprimentem, quae nauseam et soporem infert. Hoc respicientes, usum quem praestat in medicina nunc explicemus, indicantes ad quosnam morbos sanandos eo utimur.

§. 13.

Irritat, inflammat atque suppurationem provocat, exedens partes quibus imponitur, secretiones ibi adaugens et alterans: ad hunc finem impetigines (Costa) capitis pustalae (Rheede) lenticulae sordidaeque faciei maculae (Rumph.) eo illiniuntur; adhibitum est etiam in inflammatis haemorrhoidibus caecis et carunculis anni exedendis (Herm.). Lignum (et folia) in pulverem redactum, morsibus animalium venenatorum, vulneribus quae a sagittis toxico illitis facta sunt, et vulneribus ve-

nenatis omnibus inspergitur (Costa, Rheede) in quibus primo parum urit, dein vero omne extrahit venenum ac dolorem sedat (Rumph.); mortui canis rabidi impositum, eandem sane vim medicatricem exercebit oleum, et suppurationem ibi continuo promovens et virus delens, Emplastro Cantharidum simile. Inunguntur quoque oleo corporis partes, ex apoplexia paralysi correptae, 1) et in affectionibus rheumaticis eo utimur externe 2).

Alia est olei applicatio externa, ubi regioni umbilicali infriatur ut alvus moveatur, quae quidem fieri potest et in infantibus, qui omnia medicamina repudient, et ubi evacuationem per alvum summopere necessariam existimamus in hominibus trismo, tetano, apoplexia, hydrophobia, mania correptis, quorum maxillas dimovere non possumus vel qui purgantia ore recipere non valent aut nolint (Conwell, Hufeland multique alii):

§. 14.

Intus adhibitum obstipationes Oleum Tigrii solvit tenacissimas, et si per sex, septem ad

---

1) Pfaff Syst. d. Mat. med. T. VII. p. 52.

2) Magendie Vorschriften zur Bereitung u. Anwendung einiger neuen Arzneimittel a. d. F. Leipz. 1824. p. 112.

octo dies perduraverint, cuius exempla nobis affert Iliff 1); immo infans, quod per tres dies ad strictam habuerat alvum, pluries sine doloribus deiecit postquam lactem matris suxerat, quae oleum antea sumserat. Plurimum igitur valet ad alvum movendam, quae iam natura sua tardior, aut multis infarcta est scybalis et flatibus (Costa, Schneider et multi alii recentiorum.) Medetur corporibus fibra laxa donatis, constitutionibus leucophlegmaticis, pituitam, humores serosos, viscidos et tenaces expellens, motum peristalticum adaugens, lumbricos simul enecans et taeniam 2) aliquosque in genere vermes hominum intestinis familiares (Costa, Rajus, Herm., Rumph, Schneider, Tantini 3) etc.) Est ideo inter praestantissima purgantia quae infantibus morbo scrofuloso laborantibus praeberi possunt, cum etiam appetentiam deiectam revocat (Costa). Bilem nimis copiose secretam et in intestina atque ventriculum effu-

---

1) Americ. med. record. T. V. p. 376.

2) Exemplum maximae ad expellendos Lumbricos efficacie, qua gaudet Cr. T. nobiscum communicat Cohausen in Act. med. phys. acad. Caesar. nat. cur. T. IX. November 1752. p. 34.

3) Gerson u. Julius Magazin. Januar, Februar 1824. p. 196.

sam, optime evacuat 1) (White 2) Nimmo 3) et icterum, spasmo aut obstructione viscerum et canarium bilem ferentium progeritum, sanat. Corporibus nimis succulentis, ad obesitatem proclivibus, quibusque sanguis in caput congeritur, multum affert levaminis, et cum diaeta sibi respondentे coniunctum, habitum funditus meliorem reddit (Nimmo). Eodem sane modo, derivatione scilicet per intestina, inveteratos capitum dolores, hemicraniam, aurum tinnitus, levat (Costa), obstipationes solvit melancholia et hysteria laborantium (Tantini), et maniae anglorum (Spleen) inveteratae paroxysmos olei quotidianis dosibus prohibere Marschall valuit 4). Non inibus Opii usu assuetis, optime alvum dicit (Tantini) quod etiam in colica saturuina praestitisse, Kinglake nobis auctor est 5): oleum cum Opio coniunctum Nimmo dedit in morbo Delirium tremens appellato. Prodest oleum in stadio primo febrium, evacuationem idoneam provocando (Marschall ap. Hufel. l. c.); in sananda mania et

---

1) Huc pertinet, nisi fallor, quod dicit Costa, convenire lignum „iliacis colicisque doloribus“ et „saevisimae cholericæ passioni.“

2) Hufeland Journ. September 1822. p. 109.

3) Gerson u. Julius Magazin. T. IV. 1822. p. 112.

4) Hufeland Journ. September 1822. p. 109.

5) Salzburger med. chir. Zeitung. Mai 1825 Nr. 41.

apoplexia magnam sibi laudem paravit (Conwell Tuthill 1) et alii): maximis vero laudibus effertur ab omnibus et veteribus et recentioribus scriptoribus ob eximiam suam praestantiam contra omnes affectus hydroponicos cum cutis tum abdominalis tum pectoris, quos interdum omnino sanat, et si sanare non possit, maiori tamen refrenat efficacia et angustioribus arcet limitibus, ac alia omnia remedia queunt.

Excretionem augens alvi, urinae et sudoris, duobus aliis morborum generibus medetur Oleum Tiglia, rheumatismo ac arthritidi, et morbis quibusdam viarum urinalium: qui lumbagini et arthritidi obnoxii sunt, solamen ex hac purgatione habent (Rumph.) aequa ac, qui articulorum et ti-biarum inveteratis doloribus laborant (Costa). Convenit torminibus renum ex lithiasi; Indi etiam gr. T. clysteribus admiscent adversus urinae difficultates. Commendatur lignum ab Herrmanno, Costa, aliisque, in omnibus cacochymiis et contra omnia venena; multumque sane pròdессет, si speciebus lignorum admiseretur quibus utimur in huiusmodi morbis, arthrite e. g., syphilide, morbo scrophuloso et his similibus.

Olei Tiglia vires, quibus nervos peculiariter afficit, ad morbum maxime dolorificum, prosopal-

---

1) Americ. medic. record, T. V. p. 615.

giam fugandum Pearson 1) adhibuit; et prosopalgiam guttis duabus, quinimo una huius remedii ad linguam applicatis, nonnunquam lenitam, imo radicitus propulsam esse legimus in Americ. medic. record. T.V. p. 189: additur ibi, effectum in momento applicationis apparuisse. Hermannus narrat, in passione hysterica Indos lignum dare in pulverem redactum, grana dena in infuso Theae vel Lavendulae propinantes.

§. 15.

Oleum hoc efficacissimis adnumerandum esse remediis, et cautissima manu adhibendum esse, ne inflammationes aut alia incommoda procreet, ex relatis elucet. Narrantur apud nonnullos scriptorum quos iam saepe allegavimus, exempla ploratum digna effectuum funestorum quos praebet hoc medicamentum, incaute, aut ab insciis et sceleratis hominibus adhibitum. Diligente igitur perscrutatione opus est, quaenam corporis conditiones Oleum Tiglia sumi vetent. Ad alvum movendam adhiberi non posse, ubi purgationibus omnino locus non datur, neminem certe fugiet, neque verba faciamus ultra hac de re, quae ad nos non attinet. Restat igitur, ut inquiramus, num sint morbi, qui olei huius usum vetent, nec ne. Hanc

---

1) Graefe u. v. Walther Journ. T. IV. p. 184.

unam inveni a multis pronunciatam esse contraindicationem, intestinorum irritationem et inflammationem; verumtamen et ne hae quidem medicum peritum prohibere valent, quominus hoc oleo utatur si alvi excretiones nullo alio purgante elici possint: testimonio nobis sunt exempla quae sequuntur. Iam Costa iliaca colicisque doloribus et saevissimae cholericae passioni hoc medicamento medebatur; Berends 1) non dubitat in tympania id adhibere, in colica saturnina Kinglake; et vel in intestinorum inflammatione semel datum esse oleum felici cum eventu Jliff 2) refert. Nullus igitur est morbus qui oleum hoc omnino vetet adhiberi, si alvi ductio desideratur: medici practici nunc est singulis morbis singulisque morborum temporibus et aegrotorum constitutionibus eius applicationem adaptare.

§. 16.

Ab antiquissimis iam temporibus singulae Crotonis Tigliae partes in usu fuerunt, non solum in patria sua verum etiam in Europa. Serapion minor, unus e veterissimis Arabum scriptoribus de materia medica, qui scripsit saeculo decimo, in libro suo: de Simplicibus Cap. 261. granor,

---

1) De Tympanitide diss. F. Schmidt. Berol. 1825.

2) Americ. med. record. T. V. p. 376.

Tigl. mentionem facit. Costa anno 1561 primam ligni Panavae notitiam se accepisse narrat; granis T. vero iam antea usus fuerat ad aves capendum: utriusque medicamenti vires in libro de aromatibus exponit. Teste Rumphio eo tempore quo Lusitani Amboinae imperabant, grana Tiglii parum adhibita, radices contra ibi in usu fuerunt, atque circa annum 1630 non tantum per totam Indiam, sed etiam in Europam transmissae sunt. Exstant duae litterae Arti Gisellii (Rumph.) septimi Amboinae gubernatoris, in laudem radicis Croton. Tigl. scriptae, quarum priores cum cistula radices continente in Europam missae sunt anno 1632. Petrus Borellus in libro suo: Histor. et observat. med. phys. Paris. 1657 Cent. IV. 1) olei expressi mentionem facit, item Hermannus anno 1710 et post eum Geoffroy et Lewis in operibus suis de materia medica. Grana Tiglii in officinis nostris ab istis inde temporibus semper reservata sunt, verum ob acredinem suam et effectus funestos quos procreabant interdum, a medicis circumforaneis imprudenter adhibita, e medicamentum apparatu exulabant, donec nostris temporibus ab anno inde 1820 Conwell in Anglia Tiglii oleo primus uti incepit. Hunc secuti sunt permulti medicorum Angliae, Italiae, Galliae, Ger-

---

1) Hufeland Journ, April 1825. p. 16.

maniae, Americae septentrionalis, quorum laudibus et commendationibus permoti haud multum sane temporis praeteribit, quin medici practici omnium terrarum hoc medicamen in usum vocabunt. Ut divulgaretur huius remedii notitia, plurimum in Germania contulerunt Schneider, Hufeland, Horn, Rust, Graefe, Froriep, Buchner, Brandes. Invenimus etiam in operibus quae nuper rime prodierunt de materia medica, oleum hoc uberius pertractatum esse, quorum sunt:

Ainslie Materia med. Madras 1813 (cf. Magendie l. c.)

John Eberle a Treatise of the Mat. med. Philadelphia 1822 (p. 456.)

Pfaff System der Mat. med. Leipzig 1822 (T. VII p. 49.)

Sundelin Handb. d. spec. Heilmittellehre Berlin 1825 (T. II. p. 525.)

Huc pertinet quoque:

Magendie Vorschriften zur Bereitung u. Anwendung einiger neuen Arzneimittel a. d. Franz. v. Kunze Leipzig. 1824. (p. 107.)

Richard Formular- u. Recepttaschenb. a. d. Franz. 1823 (p. 295.)

Mentio huius olei facta est etiam in libris qui de venenis agunt, e. g. in Toxicologiis quas scripserunt Orfila et Buchner.

§. 17.

In libris illis de Toxicologia, et apud ceteros scriptores qui de Oleo Tiglia agunt, antidota nobis sunt praescripta, quibus nocivos eius in homines effectus illico minuere vel irritos reddere polleamus. Summopere laudatur a Costa et Hermanno aqua frigida, qua si caput perfundatur avibus, quae seminibus fructae ab aucupibus iis expositis, sopitae ac stupidae decidissent, eas reviviscere ille narrat; Hermann. vero his utitur verbis „alvus (quam hoc oleo duximus) in momento sistitur, si superbibitur haustus largior aquae frigidae, vel si pedes madefiant aqua, vel si manus laventur aqua frigida et naribus admoveatur.“ Involventibus porro, mucilaginosis, iusculis pinguibus, lacte, decocto hordei vel oryzae et his similibus obtunditur acre illud, quod Acidæ vegetabilia, imprimis Acid. acetum, A. citricum, A. tartaricum optime innoxium reddunt (Frost, Eberle, aliique); ad alvi deiectiones sistendas, opium etiam multum valet.

§. 18.

Cum oleum ingratissimo sit sapore, ita ut merum summis sine incommodis assumi non possit, medici ei addunt alia medicamina, quibus hanc inoptatam corrigant indolem. Duplici verum modo hunc finem assequi possumus, altero granis,

priusquam oleum ex iis paratur ant dum paratur, acredinis partem subducendo; altero, oleo ipsi corrigentia addendo. Primum genus exulat ex hodierna medicina, non enim certo scire possumus, quantum acredinis amiserit oleum, hoc modo paratum, cuius efficaciam ambiguam esse, inde sequitur. Sunt huiusmodi praeparationes torrefactio seminum sub cineribus (Geoffroy), coctio cum aceto vel urina puerorum (Herm.) etc. Corrigentium magnam auctores singuli afferunt copiam: mucilaginosa vero, emulsiones, lac, pinguia et oleosa, mellaginea, dulcia, aromata, olea aetherea laudantur ad omnibus; adiicit insuper Hermannus Saccharum Saturni et Opium, et White (cf. Hufel. l. c.) singulis dosibus grana duo Extracti Catechu a nonnullis addi refert.

§. 19.

Lignum Pavanae quale apud nos prostat, dare possumus in infuso et decocto a drachmis duabus ad unciam dimidiam; nucleorum granum unum (Rumph) ad quinque (Hermann.); extracti, beneficio spiritus vini parati, grana tria ad quinque (Herm.); Oleum Tiglia a guttae parte octava (Hufel.) ad guttas tres (Magendie).

Datur oleum in emulsionibus (e. g. ex vitello ovi vel Amygdalis paratis) cum oleis pinguibus mixtum, cum syrupo quodam sub forma

linctus (Magendie), in pilulis, cum vino (Rumph) in spiritu vini solutum 1), pulveribus exceptum.

Formulas liceat nonnullas afferre experientia probatas, quas praescribens medicus olei effectus salubres consequetur, remotis omnibus nocivis.

Rec. Ol. gr. Tigl. expr. guttam unam

exhibe cum

Ol. expr. Ricini vulgaris cochleari di-  
midio

(vel Ol. Amygdal. dulc. rec. expr. co-  
chl. uno)

exhibe pro purgante (Herrmannus.)

Rec. Ol. Tigliai guttam unam

Ol. Papaveris unciam

m. s. pro dosi cochlear detur (Hufeland)

Olei hac mixtione compositi cochlear unum eosdem praebet effectus, ac Olei Ricini dosis media, quod multis experimentis in instituto polyclinico, quod Ill. Hufeland directore Berolini floret, stabilitnm vidi. Hac insuper praestantia fruiatur oleum hoc (ol. Ricini artificiale iure nominandum), quod viliori ematur pretio ac ol. Ricini, cuius viribus non tantum aequiparandum est, sed

---

1) Jam Rumphius tincturam quandam commemorat his verbis: rasaæ seu contritæ radicis digitabulum sumitur, infunditurque debili potu Arak.

interdum etiam anteponendum, ubi hoc, per longum tempus repositum, rancidum factum sit,

Rec. Ol. Tigl. guttam unam

Ol. Caryophyllor, guttam unam

Confect. Rosae gallicae grana quatuor  
m. et sit pilula (Frost.)

Rec. Extr. Jalapp. aquos. drachm, dimid.

Ol. Tiglii guttas tres

m. f. pilul. granor. duor. consperg. pulv.  
Lycopod. d, sumatur omni bihorio pilula  
una (Schneider)

Rec. Ol. Tiglii guttam unam

Pulv. sapon. medicat. scrupulum dimidium

m. exactissim. f. pilul. Nr. sex; detur pilula  
una cum lacte, et lac superbibatur (Graefe)

Formari possunt etiam pilulae cum mica panis, cum succo Glycyrrhicae, similibusque.

Rec. Solut. alcoholic, de Crot. Tigl. drachmam  
dimidiām

Syrupi simplicis

Mucilag. Gummi arab. ana drachmas tres  
(Conwell.)

aut

Rec. Alcohol Crotonis Tiglii drachm. dimid.

Syrupi simplicis

Mucilag. Gummi arab. ana drachm. duas

Aq. destillat. unciam dimidiām

m. fiat haustus (Nimmo) 1).

Rec. Ol. Tiglii guttas duas ad tres

Sacchar. alb. unciam dimidiam

m. f. pulv. s. omni bihorio quantum  
cochlear parvum capere potest (Schnei-  
der)

Rec. Ol. Tiglii guttam unam

Sacch. alb. drachmas duas

m. f. pulv. divid. in octo partes aequales,  
cuius pars singula valet pro dosi (Hufeland)

Hanc secuti experientiam, quod oleum Tiglii purgativam vim suam exercet et si naribus admovereatur, aut odor eius tantum naribus excipiantur; Indi pomum regium catharticum ex eo parant, quod Hermannus sequenti modo confici iubet: „Recipe olei expressi gr. Tillii quantum vis; huic immitte pomum aurantium seu citreum et relinque per mensem integrum, post exime et adsperge pulvere Santali citrini; admove naribus

- 
- 1) E guttis duodecim olei Tiglii quod Short venale dimittit, duas tertias partes in Alkohol uncia dimidia solvi, et omnem, quae huic oleo inerat, nunc solutioni inesse vim purgativam, Pfaff l. c. auctor nobis est. Sequitur drachmam dimidiam huius solutionis eandem esse dosin ac olei gutta una cum tercia guttae parte; Alkohol Crotonis T. quo Nimmo utitur, easdem servat proportiones, Gerson u. Julius Magazin. T. IV. p. 112.

ad alvum movendam, vel frica hoc pomo fortiter manus et admove naribus: quotiescumque pomum naribus admovetur eiusque odor fortiter attrahitur, toties movebitur alvus.“

Exstant etiam formulae oleum ad purgandum externe adhibendi, quales sunt quae sequuntur:

Rec. Unguent. de Arthanit. drachmam unam  
Ol. Colocynthid. drahm. unam et dimid.  
Ol. gr. Tiglii expr. guttas duodecim  
m. f. linimentum quo inungatur abdomen  
(Hermann.)

Rec. Ol. nuc. Jugland. unciam unam  
Ol. Tiglii guttas tres ad quatuor  
m. f. linimentum quo illiniatur regio um-  
bilicalis (Schneider)

Adn. Hermannus hoc oleo etiam in inflam-  
matis haemorrhoidibus caecis et carunculis ani  
exedendis usus est et hac quidem forma:

Rec. Ol. expr. gr. Tiglii guttas quinque  
Sacch. Saturni par  
m. f. linimentum quo inungantur hae-  
morrhoides coecae et carunculae ani; ter-  
vel quater de die repetatur.

### §. 20.

Efficacissimum remedium hoc antea a multis  
omnino reiectum erat, nimiam acredinem eius  
veritis; et eximia quidem vehementia id agere,

ita ut effectus tetrostros procreare possit, qui  
veneni nomen apud multos haud immerito ei pa-  
rarunt, negare non possumus, immo affirmandum  
nobis est potius, perniciosissimum et revera ve-  
nenum id fieri, ubi ab insciis adhibetur: quo  
si utatur medicus peritus, veterum et recen-  
tiorum observationes ac relationes religiose per-  
pendens, summa praestat emolumenta Oleum  
Tiglii, cuius vires investigando, et cogni-  
tis multos morbos superando, medicina hodierna  
respondet spei qua nisus est Hahnemann, tempo-  
ribus scilicet futuris hoc esse reservatum, ut mi-  
tissimos effectus validissimis producere discamus  
medicamentis. Quamvis enim irritet Oleum Tiglii,  
et maxima agat vehementia; saluberrimos nobis  
praebet et sufficientes effectus cauta eius suppedita-  
tio. Marshall guttam eius unam idem valere as-  
severat ac Ialappae drachmam, Hydrargyri muria-  
tici mitis grana sex, Salis Epsomensis unicam;  
Iliff, cui Extract. Colocynthidis compositi grana  
decem pulv. rad. Rhei grana sex, Calomel. granum  
unum alvum ducere non potuerant, viginti qua-  
tuor horis praeterlapsis Olei Tiglii guttam dimi-  
diā sumsit, quae post horam unam et dimidiā  
eum exoneravit.

Sed iam satis de efficacia olei permagna de qua  
nemo dubitat; transeamus ad contemplationem effec-  
tuum quibus stipatae doses eius minutae, quales ad-

hibere consuevimus, alvum ducunt. Audiamus præ ceteris, quae Costa scripsit in laudes huīus medicamini, his usus verbis: „— huc accedit quod neque foetorem neque taedium, neque metum dum sumitur pariat, possitque sine diaetae observatione etiam iis, qui sua negotia foris peragunt, propinari.“ Conwell, Marshall, Tantini, Buchner hanc nobis dant descriptionem: praeteritis octo ad decem horae sexagesimis partibus post olei ingestionem, exoritur debilitatis sensus, pulsus debilis, parvus; calor in superficie totius corporis pa- rum minuitur, in abdomen caloris aucti sensus per- cipitur; tum pulsus evadit fortior, plenior, et calore cutis rursus adacto, sudores prodeunt e tota plerum- que corporis superficie: percipiuntur intestinorum motus, interdum etiam tormina leviora, et post ho- ram dimidiam, vel duabus horis post ingestionem olei, alvus solvitur pluries, ita ut sexies ad vicies faeces et fluida serosa evacuentur.

Scriptores recentiores omnes qui mentionem fa- ciunt Olei Tiglii, plerumque sine doloribus colicis, sine nausea et vomitu alvum ab eo purgari reserunt; quod si vomitum moveat et dolores, alia purgantia drastica idem certe perfecissent, aut idiosyncrasia for- san accusanda est; nec obliviscamur, omnia purgantia nunquam fere vim suam exserere, quin incommoda quaedam pariant. Laudandum est contra, Oleum Tiglii, et si vomitum civerit, nihilo tamen minus omnem suam vim purgativam exercere, ita ut inter medicamina alvi excretionem provocantia, quoad ef- fectum certum et non deficientem, primum locum ob-

tinere videatur. Non equidem omnibus reliquis purgativis undique anteponendum esse censeo hoc meum oleum, sed multas potius existere conditiones, quibus alia medicamina huiusmodi melius convenient, libenter confiteor: nihilominus tribus illis, quas Conwell posuit indicationibus, omnino hoc oleum respondere, et omnibus reliquis anteponendum esse censeo; et sunt quidem hae:

1. ubi purgantia cetera quae habemus, iam adhibita sunt sine successu.
2. ubi alia medicamina huiusmodi ingerere non possumus, quia aeger ea deglutire noluit aut non valet.
3. ubi remedio nobis opus est quod alvi solutionem quam citissime praestat.

CURRICULUM VITAE  
EX DECRETO  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
BEROLINENSIS ADIECTUM.

---

Ego Gustavus Leopoldus Cruse Regiomonti Borussorum natus die XIV Novembris a. MDCCIC parentibus gaudeo adhuc viventibus, patre Ioanne Christiano Cruse utriusque Medicinae Doctore et Medico pratico apud Regiomontanos, matre e gente Goebel, unus quatuor filiorum solus superstes. Puerum a praceptoribus, singularem in me operam ponentibus edoceri curabat pater; annum degens decimum quartum, gymnasium, cui nomen Collegium Fridericium, quod floret directore Dr. Gotthold, frequentare coepi, ibique per annos quinque et dimidium artibus instructus, testimonio maturitatis exornatus anno MDCCCXIX dimissus sum ad universitatem litterarum Albertinam, cuius civium numero me adscripsit Ill. Wald t. t. Prorector Magnus d. X Aprilis; medicorum albo Ill. Burdach t. t. Decanus quam maxime spectabilis.

Legi Regis nostri Clementissimi obediens, quae inventutem militare iubet, eques militavi per annum, simulac civis academicus factus eram.

Sub finem anni MDCCCXXII universitatem litterariam Berolinensem petivi, ubi ab Ill. Wilken

Rectore Magnifico d. XVI Octobris in civium numerum receptus et ab Ill. Link t. t. Decano quam maxime spectabili Med. studiosis adscriptus sum.

In utraque universitate hasce audivi viror. Illustrissimor. paelectiones: Cel. Herbart de Logica, Psychologia et Philosophia practica, Cel. Lobeck Aristophanis interpretantem Equites, et Sallustii bellum Jugurthinum; Ill. Hagen de Technologia; Ill. G, Hagen de Physica et Chemia, experimentis illustratis; Cel. de Baer de Anthropologia. Anatomiam docuerunt Ill. Burdach et Cel. de Baer; Zoologiam et Zootomiam Cel. de Baer, Encyclopaediam et Methodologiam medicam, Botanicen, doctrinam de plantarum viribus Cel. Eysenhardt; Physiologiam Ill. Burdach; Materiam medicam, Therapiam morbor. acutor. Cel. Richter; Chirurgiam et Ophthalmiatricen Ill. Unger, Pathologiam generalem Cl. Hecker; Pharmacologiam Ill. Link; Anatomiam pathologicam Ill. Rudolphi; de Magnetismo et Electricitate Cel. Erman; Pathologiam et Therapiam specialem, Therapiam specialem morborum syphiliticorum et morborum mentis Ill. Horn; Semiotiken pathologicam, Therapiam specialem morborum tabificorum Ill. Berends; artem obstetriciam Ill. de Siebold et Ill. Kluge; artem fascias imponendi simulque de ossibus fractis et luxatis Ill. Kluge; Akiurgiam Cl. Juengken. Ad cliniken practicam mihi duces fuere viri Ill. Hufeland Graefe, Rust, Neumann, de Siebold, Kluge.

Jam vero tentamine et examine rigoroso coram gratiose medicorum ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione hac et thesibus palam defensis, summi in Medicina et Chirurgia honores mibi impertiantur.

---

THESES DEFENDDAE.

I.

**Foemina utero gestans, menstruare non potest.**

II.

**Non datur febris essentialis.**

III.

**Omnis exanthematis eruptio est crisis.**

IV.

**Non est morbus qui quodvis medicamentum absolute repudiet.**